

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.



99.



Συμ Θεω

DISPUTATIONUM  
ETHICARUM

V.

De

ACTIONUM  
PRINCIPIIS

*In Inclytà VVittebergensi Academia  
proposita*

PRÆSIDE

M. NICOLAO HUNNIO  
Marpurgensi: Fac. Phil. Adjuncto,

RESPONDENTE  
IACOBO BRANDES  
*Quedlinburgensi.*

VVITTEBERGÆ

*Ex officina Typographica Iohannis Gormanni, Anno 1611.*



resisten.  
conciner,  
ejusdem  
ompara-  
sa, egregie  
m, utubi  
potius in  
  
eiram, ali-  
m ex na-  
furor qui-  
e dicantur,  
La vel (altem  
lum amico-  
liberorum,  
nosce.





VIRIS

*Magnifico, Excellentissimo, Clarissimo*  
Dn. SEBASTIANO TRESCHO-  
VIO. I.U.D.

*Illustrissimo Principi ac Domino*  
Dn. HENRICO IULIO EPISCOP.  
HALBERSTAD: DUCI BRUN-  
SUICEN: ET LUNÆBURG: &c.  
à consiliis dignissimo

ET


*Clarissimo ac Doctissimo*  
Dn. IOANNI IANO SCHOLÆ  
Hildesheimensis correctori fidelis.

*suis*  
*Fautoribus & Promotoribus omni*  
*observantia colendis*  
*offert:*

*hanc Ethicam συζητησιον*

*Jacobus Brandes Q. S.*





Σὺν Ἰσῶ.

De

# ACTIONUM PRINCIPIIS.

I.

*Virtuosa actio certa quaedam postulat α ε σ κ ε ι  
μ ε ν α, & requisita ceu principia, ut  
virtuosa dici mereatur.*

I.



**D**RÆSENS hæc tractatio partim ad efficientem virtutis causam, partim ad virtutes in genere reducitur, ut eæ in agendo ceu normâ, & cynosura quapiam usæ verum, sibiq; competentem agendi modum accuratè observent; partim ad *εὐδαιμονίαν*; primum, quia hæc, de quibus nobis sermo, principia, cōditiones quædam sunt, ut agens virtuosè, seu secundum virtutem operetur. *Secundo*; quoniam hisce notis adhibitis, atq; perpensis facili collectione de actione, sitne verè summum bonum: judicatur. Tandem: quia virtuosus non uno modo, virtuosa licet agens, decipi potest, ut se virtuosè operatum existimans operatus tamen non fuerit. Hæc igitur causa præsentis tractationis necessitatem abundè exponit.

II. Dicuntur actionum principia conditiones principalium agentium, quibus ceu *γνωρίσματα* quæ virtuosa sit actio, quæ secus, cognoscitur. *aristot. principiū vocat, εἶναι τὸ εὖ τὸν ἢ κίνησις.*

A 2 lib. 2.

lib. 2. Eodem cap. 6. quæ quidem magno se offerunt numero à Pic-  
colomineo grad. 2. cap. 1. numerato : attamen , cùm nec de naturali  
subjecti dispositione quam virtutis introductio postulat , ut sunt  
ingenium, voluntas, solertia &c. neque de iis , quæ introductio-  
nis virtutum media sunt , ac organa : nec denique virtuti quæ  
sunt συστατικά constitutum sit agere; quinque numerare sufficiet:  
1. ἐκείσιον. 2. προαίρεσιν. 3. βέλευσιν. 4. βέλησιν. 5. αὐτεξέσιον. de qui-  
bus seorsim singulis. I I.

*Ἐκείσιον spontaneum est, cuius principium est in  
ipso agente, & sciente singulas actio-  
nis circumstantias.*

I. Necessarium hoc est actionis principium; ὅτι ἡ ἀρετὴ, καὶ ἡ  
κακία τῶν ἐκείσιων. Arist. 2. Eud. 6. Et ab eodem definitur: τὸ ἐκείσιον  
δόξειεν εἶναι, ἧ ἡ ἀρχὴ ἐν αὐτῷ εἰδόπι τὰ καθ' ἕκαστα, ἐν οἷς ἡ  
προαίρεσις. 3. Eth. 3. lib. 1. Mag. Mor. cap. 15. Quæ definitio genus ut no-  
tum præsupponit, videlicet *actionis principium*. Differentia verò  
duobus comprehenditur membris. 1. *principium sit in agente*. scilicet  
ratione dominii, & directionis. Etenim: siue inhæreat primario  
agenti, siue non; modò in illius sit potestate situm eo vel uti, vel  
non uti pro libero suo beneplacito; jam requisito huic ad plenū  
satisfactum fuerit. Per multa namq; agimus non nostro, sed ali-  
eno principio moti. Excluduntur proinde à virtuosarum actio-  
nū numero accessu 1. quæ alieno jussu, & nomine agimus, quod  
facit legatus, personā sui principis iussa exequēs. Hujus n. actio-  
nis principiū arbitrio, ac directioni legati haud quaquā subiacet.  
II. 2. *Actiones violentæ*. Ratio: violentas actiones dolor inse-  
quitur, virtuosas non item Aristot. lib. 1, Mag. Mor. cap. 13. Est verò  
violentum aliud contra naturam, & opponitur naturali: aliud  
contra id, quod spontè fit. Acciajohus li. 3. Eth. 1. S. 13. idque definitur,  
ἧ ἐξωθεν ἡ ἀρχὴ, μηδὲν συμβαλλομένῃ τῷ βιασθέντι. Aristot. 3. Ni-  
com. 1. Duo infert. 1. *Principium externum*; qualis est actio ejus,  
qui vi, aut vento impulsus currit. Vbi distinguendum inter actio-  
nē ipsam, eiusq; aliquod accidēs, aut circumstātiā: seu, inter a-  
ctionem, & hanc actionē: quòd enim homo vi protrusus currit  
ab intrescā habet loco motivā facultate; quòd vero hac actio-  
ne,

ne, seu in praesente currit, non internum principium est, sed exter-  
num protrudens: quapropter; de hac pronunciantes actione  
violentam ipsam dicimus.

III. Praeterea, quae ex ira, vel cupiditate nimia eveniunt mala,  
violenta, seu invita dicenda non sunt; siquidem & principium  
internum & actionem voluptas sequitur. *Δονεί γδ άπαι τή καί  
στη θυμια ενύσσιον είναι. Arist. 2. Eud. 7. Vide. 3. Nico. 4. lib. 1. Mag. Mor.  
cap. 14.* Insuper, externa non uno modo impellunt ad operandum  
agentem: aliàs n. cogunt ad modum efficientis; & hoc praesens vult  
definitio; vel admodum objecti, qua ratione color undiq; circum-  
fusus oculum ad videndum cogit; & bonum propositum appetitum  
ad appetendum necessitat; qui modus etiã cum spontaneo confi-  
stit. Hinc etiam violenta actio omnem assensum negat. Etenim  
uti ignis Elementaris lunari orbe circumgiratur motu naturali,  
& (ut sic loquar) spontaneo (quatenus illi natura ignis planè ni-  
hil repugnat) ad eundem ferme modum actio approbata spon-  
tanea nuncupari posset; non obstante hoc requisito; quoniam id,  
quod externum est principium, assensu, & approbatione suum, &  
ceu internum facit.

IV. 2. Alterum, quod violenti definitio infert, est, *ut nihil adjuven-  
ti ad actionem conferat.* Certè, si absolutè hoc acciperetur; ut vult  
*Golius lib. 3. Eth. c. 1.* jam non actio, sed mera existeret passio, uti ex-  
emplum ab ipso subjunctum demonstrat; dum ait: *agens, vel patiens  
plane nihil adjuventi conferat ad illam actionem. Veluti; cum duo, aut plu-  
res robusti lictores aliquem ligatis manibus, & pedibus deportant in carcerem.*  
Atqui nobis de *actione* est quaestio, unde non poterit omne simpli-  
citer, & absolutè adjuventum negari. Quapropter distinguendum  
inter adjuventum, quod superiores, & quod inferiores faculta-  
tes conferunt. Etsi enim inferior, h. e. animalis facultas, locomo-  
tiva &c. ab externo principio impulsiva violentam actionem suo  
adjuvamento promoveat, prorsus tamen violenta dici fas est; modo  
superior (rationalis) facultas non consentiat; nec inferiori actionem  
imperet. Rectè igitur observavit *Acciajolus Arist. violenter agentem  
simul agentem nominare, & patientem; patientem, in quantum com-  
pellitur; agentem, in quantum compulsus agit. lib. 3. Eth. cap. 1. §. 4.*  
V. Hoc g. prius, definitionis τή ενύσσιον μέβρū. Cujus haec est ratio;

1 A 3

quod

numero à Pi-  
nec de naturali  
ostulat, ut sunt  
az introductio.  
que virtuti qua  
merare sufficiet  
εξ άπαι. de qui-

pium est in  
s actio-

tu n. άπειρη, καί  
imitur. τή ενύσσιον  
εξ άπαι, ενύσσιον  
tio genus ut no-  
Differentia vero  
it in agente. scilicet.  
areat primario  
m eo veluti, vel  
o huic ad plenu  
nostro, sed ali-  
uofarum actio-  
e agimus, quod  
Hujus n. actio-  
quaqua subiacet.  
nes dolor inse-  
ap. 13. Est vero  
naturali: aliud  
idque definitur,  
rec. Aristot. 3. Ni-  
is est actio ejus,  
lum inter actio-  
am: seu, inter a-  
protrulus currit  
ero hac actio-  
ne.



quod omnis virtuosa actio est à virtute; virtus a. internum principium. Vnde, quicquid virtuosum, idem ab interno principio, & quodcunque tale non est; id nec virtuosum.

VI. POSTERIUS membrum; *Agens sciat omnes actionis circumstantias*. Cujus ratio datur, quia duo sunt actionum virtuosarum principia interna; appetitus, & cognitio: quorum prius per violentiam, posterius per ignorantiam ligatur, ac impeditur. Libertatem illius membrum definitionis prius; hujus posterius postulat. Per scientiam qualemcumque; intelligi noticiam, in confesso est, & hoc ipsum græcus terminus arguit. Deinde & de hoc constat, actionem non γενικώς pro actionis specie; sed ειδικώς pro hac singulari, certa & definita actione sumi. Sensus ergo clarus est, ac perspicuus; videlicet, actionem non debere quacunq; ratione occultam esse, & latere agentem, ne quidem secundum unam aliquam primariam circumstantiam; sed constet tum de actionis substantia, tum subiecto, tum loco, tum tempore, &c.

VII. Virtuosa proinde actio non est, quam in se licet laudabilem; inscius perpetratur, quia non spontanea. Quocirca, invitum duplex pronunciauit Philosophus; δι' ἀγνοίαν, vel μη κατὰ δυνάμειν, & βίαιον. lib. 3. Ethic. 1. 3. quæ divisio sufficiens visa fuit *ἀκρίβητος* vel hac de causâ, quod pluribus modis actio impediri queat, dum per vim, seu βίαιον appetitus, per ignorantiam cognitio impediatur. lib. 3. Eth. 1. § 3. Piccol. grad. 2. cap. 12.

VIII. Pro cuius intellectu ante omnia sciendum, aliud esse δι' ἀγνοίαν πρὸς τὴν, & aliud ἀγνοεῖν τὰ ποιεῖν. Aristot. 3. Ethic. 2. Hoc fit à nesciente actionem, ignorantia non existente actionis causâ: illud ab ignorante, ita, ut ignorantia actionis causa existat. Ignoramus v. actionem, vel quando ipsam facti substantiam nescimus; vel cum aliter egimus, atq; à nobis intendebatur. Magistratui benefacere factum est laudabile; qui verò magistratui benè facit nescius, is hanc laudem, quæ ipsi scienter hoc agenti debebatur, planè non meretur. Qui mortis pericula adit, nescius ea sibi imminere, fortiter non agit. Et sic vicissim, quòd actiones vitiosas, itidem tales non sunt, nisi à sciente perpetrantur: cum distinctio- ne tamen & hoc volumus acceptum: duplicis nimirum ignorantiæ; quarum una ἀληθής, vera; altera affectata, ἢ ἐν πρῶταις; si quis



quīs Cæsarem, plebejum existimans, & in se animadvertens injurium, verberibus excipiat; crimen læsæ majestatis non commisit; sciens v. esse Cæsarem aut per affectatam ignorantiam se nescire simulans, commisit.

IX. Ulterius: vera ignorantia duplex se offert; juris & facti; seu τῶν καθόλων, & τῶν καθέκαστα. Priorem dicimus, qua quis scit bonum quod agit, ignorans interim, hoc actionum genus bonum esse, ac laudabile; aut malum agit, nescius illud indecens, honestati adversum aut lege vetitum. Ita proselyta populo Israelitico aggregatus servilia si fecisset opera die Sabbatho, prohibitionem eorundem ignorans, juris ignorantiam deliquisset. Similiter; qui hostem animatus invadit, hanc interim fortem esse actionem, haud perinde novit, fortiter non agit. Qui ab immoderato usu cibi, ac potus sibi temperat, nec tamē scit, virtuosus istius generis actiones annumerari certē virtuosē non agit.

X. Ignorantiā facti delinquitur, quando præcipuas actionis circumstantias ignoramus in iis errantes ἐν οἷς καὶ περὶ ἀήπερξις. Arist. 3. Ethic. 2. Circumstantias enumerat Piccolomineus decem grad. 2. capit. 12. quas adesse omnes necessarium est, unius defectus totam actionem ignorantiam committi facit. Quando nimirum vel ab eo qui aliud, in alio loco, alio tempore &c. agere constituit; aut qui sanæ mentis non est, vel cū in somno, vel morbo rationis usum non nihil turbante, aut deniq; inexpectatā animi perturbatione, tristitiā, metu &c. committitur; laudabile factum ac virtuosum censetur minimē, eò, quòd per ignorantiam. Similiter, cū à taliter affectō malum perpetratur improprie vitiosū dicitur; (nisi prius eidem deditus fuerit; tunc enim non δι' ἀγνοίας, licet ἀγνοῖν, sed per contractum vitium peccavit) & veniam meretur; ita tamen, ne ignorantiam sibi per ebrietatem, aut similes modos volens conciliaverit: quia tunc principium ignorantiae & consequenter ea, quæ hinc dependent, spontaneum reputatur. Deficit ergò facti ignorantiam, pater castigare volens filium eumq; occidens. Cujus generis in palæstra sese exercentibus multa contingunt.

XI. Præterea, ἀγνοία quædam est ἡπίλυτος, quædam ἀλυτος. Quæ distinctio malas actiones vel unice, vel potissimum, & primò

primò concernere videtur, estq; hic illius sensus. Actionem pravam ignoranter commissam vel sequitur mœstitia, & dolor, vel non sequitur, Si prius, cœnsetur invita, *εἰ γάρ τι λυπηρὸν, βίαιον* Aristot. 2. *Eud.* 7. & veniam meretur, sin minus, spontanea; (certum namque iudicium aliter ipsum, etiam ignorantia non præoccupatum acturum non fuisse:)& reprehensionem incurrit. *Aristot.* 3. *Ethic.* 2. Vbi tamen attendendum, aliquam esse tristitiam, qua malum ob seipsum; aliam, qua ob insecuturam pœnam detestamur. Hæc, quæ diximus, non nisi de priore intellecta volumus.

XII. Interdum verò accidit, ut actionis principium ex parte sit internum, ex parte externum, & sic actio resultet, *mixta*; seu secundum quid, & ex parte invita; secundum quid spontanea. Spontanea, si causam impellentem, vel etiam finalem; invita, si ipsasmet in sese actiones intuearis, utpote, quas nemo perse eligit *Aristotel.* 1. *Ethic.* 3. eligit tamen mali majoris evitandi, aut boni impetrandi gratia; cujus generis cernere licet *Gen.* 19. v. 8. *Iudic.* 19. v. 24. quarum iu numero censet Aristoteles mercatoris naufragium effugiendi causa merces in mare proiicientis: talis & illa, qua latronibus viator vitam redimens bona sua distribuit.

XIII. Sunt autem & hæc diversorum generum. Aliæ indecoræ, idq; vel magni commodi impetrandi, aut magni mali avertendi gratia; aliæ turpe, aliæ malum propter exiguum commodum admittunt. *Indecorum est* quod directim virtutibus non repugnat, nec tamen iisdem consonat & non nunquam obliquè petit. *Falsa pro veris* (in nullius tamen fraudem) venditare turpe est, uti faciebant Gibeonitæ *Ios.* 9. v. 9. seq. Infaniam simulare turpe est, quod fecit David. 1. *Sam.* 21. v. 13. Illi, ut bonum adipiscerentur, hoc est, in fœdus cum Israëlitis admitterentur; hic ut mortem, quam metuebat, effugeret: quem finem respiciendo veniam mereri, nonnunquam laudem censendum. *Aristotel.* 3. *Ethic.* 1. *Turpe quod* *Acciajulus lib.* 3. *Ethic.* c. 1. sordido æquipollere ait, ex parte vitiosum est, ex parte non. Vitiosum, quatenus virtuti non nihil repugnat: ut si quis furtum artificiosum laudet. Partim verò vitiosum non est, quatenus nulli virtuti vim manifestam facit. Cum ergò quispiam turpia committit in gratiam hujus personæ, vel propter lucellum aliquod; qualiter deliqueris, si accepturus aureum nudus

nudus saltaveris in publico. Atque talis actio & vituperio, & poena aestimatur digna. Poenas igitur vel maximè incurrunt, qui mala vel metu malorum, vel premio allecti committunt.

III.

*πρωήρεσις*, *Electio est prameditata appetitio eorum, quæ in nostra sunt potestate, & per nos fieri possunt.*

I. Aristotelicè *πρωήρεσις* definitionē, sic reddit *Col. 3. Nic. 3.* descriptā, *πρωήρεσις ὅτιν ὄρεξις βουλευτικῆ τῶν ἐφ' ἡμῶν*. Spōtaneū in actione nō sufficit; cū n. in pueros, & bruta cadat τὸ ἐκύσιον, (quod nudæ ὄρεξεως, cujus operatio in iis cernitur, est effectus) etiam ipsis virtuosam competere actionem, sequeretur: quod, vel ex eo falsum, quoniam virtutis actionem ratione definiri oportet; quæ brutis nullo modo; pueris ἐνεργεία saltem non inest. Ut ergo actionum juxta rationem, & sine ratione operantium discrimen appareat, electio tanquam secundum actionum principium addenda fuit.

II. Et quidem genus definitionis cōstituitur ὄρεξις βουλευτικῆ: quo docetur, *πρωήρεσις βουλευσεως* consultationis esse filiam. Quando enim plura proponuntur agenda; non cæco fertur impetu voluntas in alterutrius productionem; sed expendendum utrumq; utrum eligibilius, & è re magis futurum nostrā: ideo *Ακταῖος* electionem duarum rerum propositarum alterius acceptionem cum consultatione definit. *lib. 3. Ethic. cap. 2. §. 30.* Consultatio autem nihil est aliud, quàm, cū nobis plures actiones, sive ut fines sive ut media proponuntur; & nos deliberamus, quænam, alterā missa, expetenda & sequenda? Huc illud Philosophi: *πρωήρεσις τὸ δεῦν ἀντὶ τῶν ὅτιν ὄρεξις βουλευτικῆ ἀντὶ τῶν χειρῶν ἐν αἰετῶν ὄντων*, Ut enim electio non finis solum est, sed interdū finis non mediōrū, interdum mediōrum non finis: nonnunquā utrorumq; sic & consultatio *lib. 1. Mag. Mor. cap. 18.* cui deliberationi decretum subjungimus nos hoc præ illo amplexuros tanquā nobis convenientius, & melius: atq; isthæc decretio nuncupatur electio. III. Quid a sibi velit isthæc *πρωήρεσις* descriptio, videndum

B

dendum



dendum. Genus duo nobis suppeditat virtuosorum actuum  
*προσκειμένα* I. Omnis virtutis actio voluntatis desiderium præ-  
supponit. Ergo spontanei puerorum, ac bestiarum actus virtuo-  
sorum censu eximuntur. Nam *βλέυσις* non est, nisi voluntatis,  
quæ partis animæ rationalis facultas. Cum igitur bruta, & pueri  
*ἄπαισι*, seu *ὀρέξις* saltem *αισθητικῆ* operatur, non *βλευτικῆ*  
quod solis hominibus *ἀκμαίσις* proprium; ex alio utiq; principio  
illa, ex alio rursus hi *ἐκασίως* operabuntur. Atq; hoc est, quod a-  
liquoties inculcat Philosophus; *τῆς προαιρέσεως οἱ πάντες, καὶ τὰ*  
*ἄλλα ζῶα ἔκαστως*. 3. *Ethic.* 4.

IV. 2. Virtuosis actionibus non accensentur *τὰ ἐξαίφνης*; *Ni-*  
*com.* 4. Spontaneum subitaneas admittere actiones, ex dictis cō-  
spicuum evadere potest: *ἔκοντες γὰρ πολλὰ πρᾶττομεν πρὸ τῆς*  
*δυνατοῦθῆναι, καὶ βλεῖσθαι.* *lib.* 1. *Mag. Mor.* 18. Et *πολλὰ βλεόμε-*  
*νοι πρᾶττομεν ἐξαίφνης.* *lib.* 2. *Eudem.* 8. quas verò *ὀρέξιν βλευ-*  
*τικὴν* præcedere oportet; improvisæ nequeunt esse; duplici de  
causa: 1. quicquid agere desideramus, & appetimus. 2. quod præ  
altero eligimus, & ceu agere decernimus, hoc improvisum nullo  
modo dicitur: *ὅτι προαίρεται ἔδειξεν ἐξαίφνης.* 2. *Eudem.* 8.

V. Differentia in definitione posita (*τῶν ἐφ' ἡμῶν*) itidem duo  
suppeditat propria. 1. Actio virtuosa non versatur circa vera, &  
falsa, sed bona, & mala. Nam virtus in agibilibus occupatur; nul-  
lum a. verum est agibile: cum etiam, verum plerumq; est necessa-  
rium: quod autem necessarium, sub electione non cadit; quoniam  
hæc est *πρακτικῆς*, illud *θεωρητικῆς δυνάμεως*. Mala verò & bo-  
na agimus, unde actiones nostræ non veræ, aut falsæ, sed bonæ,  
aut malæ appellari consueverunt. 2. Actio virtuosa occupatur in  
possibilibus, nec ad impossibilia sese extendit. Prompta est ratio;  
eligendo, quod acturi sumus, decernimus: qui verò decernere-  
mus impossibilia? cum ea nec sint agibilia & in electione ad u-  
trumq; oppositorum æqualiter nos habeamus; ad impossibilia  
verò nostrum arbitrium non assurgit.

VI. Ex hac electionis descriptione Philosophus veterum de  
*προαιρέσει* opiniones refellit. *li.* 3. *Nic.* 4. *lib.* 1. *Mag. Mor.* 18. quarum 1.  
*προαίρεσιν* cū *ἄπαισι* 2. cū *βλήσει* 3. cū *δόξει* confundebat. Pri-  
mam his fundamentis reiicit, *προαίρεσις* I. non est homini commu-  
nis

nis cum brutis; *ἡπιθυμία* est 2. omnis cupiens foret eligens,  
& vicissim; quod falsum. 3. Electio adverteatur τῇ *ἡπιθυμίᾳ*  
cupiditas cupiditati non item. 4. cupiditas est jucundi, & mole-  
sti; electio boni & mali, *Secundum*. *Βέλευσις* est etiam 1. τῶν ἀδυνα-  
των, 2. eorum, quæ à voluntate fieri nequeunt. Electio contra  
tantum possibilem, & quæ à voluntate nostra fieri possunt.  
*Tertiam* 1. Opinione non efficimur quales, uti quidem electione.  
2. opinione nihil prosequimur aut fugimus, ut quidem facimus  
electione 3. Opinio laudatur ex veritate, electio ex rectitudine.  
4. Opinio vertatur in nobis certis, electio in incertis. 5. Opinamur  
multa, quæ nec volumus, nec eligimus.

IV.

*Βέλευσις, consultatio est deliberatio de  
rebus agibilibus.*

I. *Golius lib. 3, Eth. 3.* talem suppediat definitionem. Consultatio  
est diligens inquisitio mediorem, per quæ in agendo ad finem  
propositum perveniri posse videtur. Quæ haud leviter in eo vi-  
detur errare, quod consultationem ad sola media restringit. Eo-  
que nomine concinnior multò quam idem addit, *ἔστιν ἡ βέλευσις*  
*τῆς ψυχῆς λογισμὸς περὶ τῶν πρακτῶν*. Terminus ἔστι *πρακτῶν* toti  
definitioni lucem afferet. Constituamus ergò hæc theses.  
I. *Βέλευσις* cõplectitur omne *πρακτῶν*, ideoq; tum finem, tum  
media. Distinctione opus: distinguamus igitur inter actionem,  
quæ rationem habet medii; & quæ finis, & finem actionis. Hostem  
vincere est actio, quæ finis rationem obtinet: bellum suscipere a-  
ctio est, quæ medium ad finem ducens. Pax & tranquillitas; seu  
regni amplificatio finis est utriusque actionis. Actionum finis  
sub consultationem non cadit; cum non sit *πρακτῶν*, sed actio-  
nem insecutus finis. Actio quæ vices obit finis, duplicis est ge-  
neris; nimirum, vel in potestate nostra constituitur; ut, si placue-  
rit, certi quid de ipsa discernere valeamus: cujus generis  
est, cum de malefico supplicii afficiendo, vel non, aut hoc, vel  
illo mortis genere sustollendo magistratus deliberat. Aut in  
nostra potestate sita non est, quam, ut ut velimus maximè cõtin-  
git fieri, vel non fieri, ad quod genus pertinet exemplum medici de  
sanatione ægroti, & Imperatoris de victoriâ obtinenda nõ deli-  
berantis

berantis: Prius genus deliberationi, seu consultationi non subii-  
citur de quo *Aristot. 3. Nic. 5. βελευόμεθα ἔπει τῶν τελῶν, ἀλλὰ*  
*ἔπει τῶν πρὸς τὰ τέλη.* Posterius at subiicitur, ut consideranti per-  
facile patet.

II. 2. Omnia *πρακτὰ ἐφ' ἡμῶν, h. e.* per nos fieri possunt. Exclu-  
duntur ergo à consultatione *1. τὰ ἀλλότρια, aliena: Lacedæmo-*  
*nus non consultat, quomodo Scytharum Respubl. administrari*  
*possit. Arist. 3. Nic. 5. 2. τὰ ἀναγκαῖα; αἰδία, ἀπὸ φύσεως, ἀπὸ τύχης.*  
*Aristot. Ibid. Rationem ibid. addit ὅσα (inquiens) γίνεται δι' ἡμῶν μὴ*  
*ὁσάυτως ἢ αἰεὶ, ἔπει τῶν βουλευόμεθα.* Necessaria ut & sint a-  
gibilia, non tamen nobis ἐφ' ἡμῶν *πρακτὰ*, hoc est, potestatem, &  
actionis indifferentiam excedunt, ut jam fas non sit vel agere,  
vel non agere indifferenter; sed determinatè hoc agere, & nō in-  
termittere; vel intermittere, & non agere oporteat.

III. Quamvis & hic distinguendum: Necessaria enim alia se-  
cundum sese aliter se habere nequeunt; ut *ἔσιώδη Dei ἰδιώματα:*  
itemq; universalia pronunciata; totum est majus sua parte: idē  
non potest simul esse & non esse, &c. alia, cū in se necessaria,  
circumstantiis tamen contingenter se habent, ut; cibum capere  
necessarium est; ast loci, temporisq; circumstantiā indifferentis:  
alia utraq; ratione *ἀναγκαῖα.* Vtraq; hæc posteriora, ex quā par-  
te necessaria, à consultatione eximuntur: etsi, prout quid con-  
tingentiæ admixtum habent, utraq; vicissim consultationi obii-  
ciantur.

IV. Præterea; distinguendum inter necessaria eventu, & causâ.  
Illa voco, quæ quidem aliter non eveniunt, vel eventuta sunt,  
causa tamen aliter se habere, & ab actu desistere potuisset. Sic ne-  
cesse est venire scandala; causam nulla urget necessitas; eventus  
verò aliter nunquam se habet. Hæc autem dico, quorum causa  
raliter non potest non agere: ut gravia deorsum, levia sursum fe-  
runtur. Quod ad prius genus; potest sanè suscipi de illis delibera-  
tio: nam, etsi necesse sit, venire scandala, is tamen, per quem ve-  
niunt deliberare potest, velitne illa dare, an secus? Posterioris ve-  
rò quæ sunt generis, nulli deliberationi obii-  
ciuntur.

V. Par fermè est ratio naturalium, quæ necessariorum: nam &  
illa ad unum aliquod sunt determinata: *ἢ ἡ βελευσις ἐν τοῖς αἰδή-*  
*λοις,*

λοισ, καὶ ἐν ὅς ἀδιόριστον. 3. Nicom. 5. Licet autem varia sit vocis  
naturale significatio, ea tamen præ cæteris huic loco est conveni-  
entissima, qua ab animali, & rationali distinguitur & faculta-  
tem augmentativam, nutritivam, generativam complectitur.  
Atq; in his nihil superesse loci deliberationi facile conspicitur:  
neq; n. crescimus quando volumus, aut nolumus. Notandum ve-  
rò, in harum facultatū exercitio aliquid inesse naturale, aliquid  
item animale: ipsa facultas, & ἐνέργεια naturalis, circumstantiæ  
v. actionis animales. Et si proinde naturalia isthæc determinata  
sint ratione sui, indefinita tamē censentur ratione περιστάσεων. Iā  
verò præfente loco naturalia sumimus quæ talia; & eatenus nul-  
li consultationi subjacent: nam qua animalia, virtuti materiam  
præbent, atq; sic de illis consultatio suscipitur; quod temperan-  
tiæ docet exemplum.

VI. Sic etiam *fortuita*, dum è potestate nostra eximuntur, con-  
sultationi subtrahuntur: licet enim agamus fortuita, ea tamen in  
nobis non radicantur, nec liberū est, agere, vel non agere; ideoq;  
nec consultare, utrum agenda, an secus? Hūc referenda quoque  
*præterita*, quæ itidem non *πρακτα*, sed *πραχθέντα* dixeris: quod  
enim factum est, ἀντιφάσεως δύναμην totaliter excludit, quod  
τῆ βελεύσει est ἀσιῶδες. Quod tamen cum reduplicatione est  
accipiendum, quatenus præterita, quoniam in iisdem ad finem  
bonum perducendis deliberatio occupatur, prout futuri quiddā  
conjunctum habent.

VII. Quæ βελεύσεως consideratio hanc notam suppeditat:  
Actio quæ sine prævia consultatione suscipitur, virtuosa non est.  
Ulterius ex eadem sequitur; nullam virtuosam actionem circa  
necessaria, naturalia, fortuita, præterita, quatenus talia, versari,  
quod ipsum necessarium cernitur bonarū actionum requisitum.

V.

Βέλησις, *Voluntas est bonicum recta ra-  
tione appetitio.*

I. Voluntas duplicem admittit significatum, vel enim notat a-  
ctum primum, δύναμιν; facultatē & vim animæ rationalis bonæ  
appetendi, aut averfandi: vel ejusdem ἐνέργειαν quem postero-

B 3

rem



rem significatum praesentis esse loci, definitio posita sufficienter demonstrat. Rursus verò ἐνέργεια hæc indefinitè nonnunquam capitur; quo sensu ex Aristotelis doctrina *Solius. li. 3. Eth. c. 4.* definiendam censuit: βέλησις ἐστὶ τὸ ἀγαθὸν ἢ φαινόμενον ἀγαθὸν μετὰ λόγον ὀρεξις. Sed in praesentia nos de voluntate non sumus solliciti, nisi quatenus ad virtutum actionem ipsius ἐνέργεια conducit; quod tamen non facit, nisi ut boni ἀληθὸς ὀρεξις. Ut facile sit litem Socratis cum Aristotele componere. Ille significationem praesenti loco congruam respiciens tantum circa bonum verum: hic contra in genere voluntatis ἐνέργειαν attendens βέλησιν circa quodcumq; bonum occupari censuit.

II. Regulam subministrat hancce. Quicquid non agimus, quando, & ubi volumus; id nec virtuosum est. Respicit loci, temporis &c. ὀρεξισιν. Certè, quæ maturo consilio suscipiuntur, ac discernuntur, non statim fieri volumus quocumq; tempore, aut loco, sed utroq; certo & definito. Vult ergo quartum hoc principium, ut voluntas, nec aliud quicquam actionis decretæ executionem mandet, ejusq; tempus, locum, &c, si quæ alia sunt, circumstantias definiat. Ratio: quia virtuosorum actuum principium, non est, nisi intrinsecum: si verò præter voluntatem erumperet actio, utiq; principium violentiæ hujus eruptionis extraneum foret; ideoq; tota actio invirtuosa.

VI.

*Ἀντιξέσιον Liberum arbitrium est facultas hominis, qua de oppositis ad ejus actionem pertinentibus ratiocinari, oppositaq; eligere valet.*

I. Liberi arbitrii multiplices sunt significatus, ut videre est apud *Piccolom. grad. 2. cap. 30.* Rejctis iis quæ vel ad alias disciplinas spectant, vel huic loco non quadrant, intra nostros nos continebimus terminos. Ideoq; quamcunque indifferentiam actionis, sive ἀντιφάσεως sit, sive ἐναντιώσεως, notat. Specialius verò rationalis animæ facultatem, qua in menti objectis indifferenter agere potest. Quæ tamen libertas non in rigore est accipienda, quasi

quasi nulli principio alteri sit adstricta, & devincta; sed quod in  
actionibus ordinariis indifferenter se habeat, quantumvis & divina  
providentiæ, ac præsciëntiæ, & astrorū influxui suo modo sit alligata.  
II. Pro cuius explicatione hæcce notasse sufficiat. 1. τὸ αὐτεξέ-  
σιον non esse facultatem à voluntate distinctam, sed, cum rem ut  
bonam eligit, voluntas est: cum vero potuisset non eligere, aut e-  
ligere oppositum, liberum arbitrium. Voluntas, ut agit: libera ut  
cum indifferentia agit. 2. τὸ αὐτεξέσιον subjectum voluntatem  
esse non intellectum. Etenim propriè volumus τὰ περὶ αὐτῶν, im-  
propriè τὰ θεωρητικά, ut voluntas velit liberè bona; intellectus  
nec bona velit, nec vera, licet aliqualem, & ceu analogicā liber-  
tatem θεωρίας habeat. Adijcitur a. in αὐτεξέσιον definitione mē-  
tio intellectu, quoniam nihil ad voluntatem pervenit, nisi prius  
intellectum à mente, quæ expensa, & considerata immediato  
actu voluntati transmittit. 3. Oppositorum electionem non tol-  
lere necessitatem agendi alterutrum. Libertati non opponitur  
necessitas sed coactio. Deus agens liberum non potest mala eli-  
gere præ bonis, hæc tamen liberrima voluntate eligit, quia non  
invitus. Quis item libertatem denegaret sanctis angelis? quibus  
ob necessitatem boni libertatem detrahere iniquum omninò  
foret.

III. Interim, distinguendum inter necessitatem specificationis  
& exercitii. Illa voluntatem ad certam actionis speciem & defi-  
nitum objectum restringit, tollens libertatem contrariæ opposi-  
tionis. Hæc ad actionem, hanc vel illam volūtatē determinat;  
nec est ἐναντίως, sed ἀντιφασίως oppositorum. Dicimus ergò; li-  
bertatem non defini necessitate exercitii: semper enim potest  
agere, vel non agere; at, Specificationis necessitas cum libertate  
consistit. Cernitur hinc, duo præcipuè τῷ αὐτεξέσιον opponi; de-  
terminationem ad exercitium & coactionem. Illam, quia ubi  
hæc, nihil reliquum est electioni, nihil indifferentiæ. Hanc; est n.  
coactio invitæ, vel reluctantis voluntatis ad alterutrum opposi-  
torum determinatio; quod ubi fit, captam videmus volūtatē,  
ut non pro suo beneplacito, & liberè, sed ad externi principii nu-  
tum, & ceu in vinculis agere teneatur.

IV. 4. Denique, opposita eligere liberum arbitrium, in  
sensu

cienter  
inquam  
4. defi-  
2. 8. me-  
n sumus  
4. con-  
6. Ut fa-  
ignifica-  
ca bonū  
dens 8.  
nus, quā-  
, tempo-  
ur, ac de-  
e, aut lo-  
principi-  
executio-  
circum-  
cipium  
umperet  
raneum  
ominis,  
27.  
idere est a-  
disciplinas  
s concine-  
a actionis,  
us verò ra-  
differenter  
ccipienda,  
quasi



sensu diviso accipi debet; non composito: non enim eligit simul utrumq; quod contradictorium; sed alterutrum; idque cum hac indifferentia; ut quod eligit, reprobare, & quod reprobavit, eligere potuerit.

V. Postremū hoc actioni in ultimā quasi perfectionem addit, requirens, ut actio secundum virtutem oriatur tam ratione decreti, quā executionis à voluntate non coacta, sed libera. Estq; ratio manifesta; nam, qui necessariò à nimio cibo, ac potu abstinere, propter utriusq; defectum, morbum, & similia; temperantis nomen haud meretur. Hinc infantes non censemus castos; plantas temperantes &c. quia aliter agere nequeunt. Is verò castus propriè dicendus est, qui in vitium contrarium labi potest, sed non labitur: temperans, qui intemperantiæ obnoxius fieri potest, at non fit: &c. vel sanè, qui in executione liber non est, ut actionem etiam bonam, sibiq; probatam nunc teneatur efficere, quando non lubet; ab isthac alieno est animo, ut non plenæ voluntati, & consequenter externo principio adeoq; non virtuti effectum adscribi oporteat.

Μόνω Θεῷ δόξα.



Umg. VI 26


= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





99.

Σω Θεῶ  
 TATIONUM  
 HICARUM  
 V.  
 De  
 TIONUM  
 INCIPIIS  
*Vittebergensi Academia*  
*proposita*  
 RÆSIDE  
 DLAO HUNNIO  
*si: Fac. Phil. Adjuncto,*  
 SPONDENTE  
 BO BRANDES  
*edlinburgensi.*  
 ITTEBERGÆ  
*ica Iohannis Gornanni, Anno 1611.*

